



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij

Schrötel, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1633

Vas Spirituale. Vas Honorabile. Vas Insigne Devotionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

rant, prædicant, qui non venit vt iudicet Mundum, sed vt Mundus saluetur per ipsum, de cuius infinita bonitate adhuc fragrant materna tua viscera, & dulcem amorem, erga omnes tui amantes, spirant. Curro ergo in odorem vnguentorum tuorum. O Mater misericordiæ, & pulchræ dilectionis; cum duodecim illis leunculis me immiscebo, & ad gradus huius throni vigilabo; Tu robur animi præsta, vt constanter tibi seruiam, & auro flagrantissimæ charitatis tibi affixus in omnem æternitatem à te non separer. Quæ in cœlis coronata triumphas &c.

VAS SPIRITVALE.

VAS HONORABILE.

VAS INSIGNE DEVOTIONIS.

ET si nulla explicatione hi tituli honoris indigeant, non erit tamen extra propositum, vnum vel alterum.

rum locum ex SS. Patribus afferre, vbi ipsi de Beatissima Virgine simili loquendi modo vtuntur.

Omnes homines vnus figuli vas sumus, sed vnum pulchrius, & nobilius altero. *a* S. Bernhardinus Senensis, de idea, in mente cœlestis figuli, concepta, ita scribit. *b* Tu virgo, inquit, ante omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti, vt omnium foeminarum castissima, vt Deum ipsum, hominem verum, ex tua carne procreares, vt præ omnibus post filium, Regina cœlorum effecta gloriosa regnares.

Hinc S. Cyprianus, *c* propter insignem huius Virginis præelectionem per excellentiam eam Vas electionis appellat. Et S. Bonaventura: Opus Dei, inquit, mirabile est, Maria, de quo dicitur in Ecclesiastico, *d* Vas admirabile, opus excelsi. Vere opus mirabile, quia nusquam inuenitur simile: Vnde de hoc dicitur,

D 5

non

a Hier. 18. *b* Tom. 2. Con, 51. a. 3. c. 4.

c Serm. de Christi Natiuit. *d* Eccli. 43.

non est factum tale opus in vniuersis Regnis;
 a non in Regno cœlestium, nec terrestrium,
 nec infernorum: hoc enim opus plenum est
 Dominica gloria, quia super omnem puram
 creaturam resultat, & relucet plenissime in
 Maria.

Ecce quale Vas electionis, in quo
 sibi Deus complacuit: Et licet multa
 magna facta sint in Creaturis Mundi, in-
 quit Petrus Damianus, b nihil tamen tam
 excellens, tam magnificum fecerunt opera
 digitorum Dei. in hoc enim opere exer-
 cuit Deus suam potentiam. Adeo sibi
 complacuit Deus in hoc vase Electio-
 nis, vt S. Anselmus dixerit, c nullum
 hominum, vel Angelorum penetrare
 posse immensitatem Diuini amoris er-
 ga Virginem. Quid amplius dicere pos-
 sum, inquit, d O domina, immensitatem
 quippe gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ
 considerare incipienti, & sensus deficit, &
 lingua.

a 3. Reg. 10

b Serm. de Natiu. Virg.

c De excellent. B. V. c. 3. d c. 8.

lingua fatiscit. Imò S. Bernhardinus dicit, a tantam esse perfectionem Virginis, vt foli Deo cognoscenda referretur.

a Ser. 51. Tō. 2.

ROSA MYSTICA.

I.

Rosa, florum Regina, elegantia sua omnium oculos pascit, suaue fragrat, & varie medetur.

Idem nobilissimo modo præstat Beatissima Virgo. Albas & rubras communiter reperire est rosas. *Dilectus meus*, inquit illa, *candidus, & rubicundus.* Quin & ipsa Sponsa. b

Pulchritudo Virginis nostræ apparet in candore immaculatæ Conceptionis, perpetuæ Virginitatis, & virtutum omnium pulchritudine. Pulchra vt speculum; Pulchra vt luna; Pulchra & electa, vt Sol: Summa, tota pulchra

D 6 es a-

a Cant. 5.